





1771, 26 3

ORDINIS IVRIDICI DECANVS

CHRISTIANVS HARTMANNVS
SAMVEL GATZERT D.

HONORES DOCTORALES

VIRO

EXCELLENTISSIMO ET CONSULTISSIMO

LVDOVICO IVLIO FRIEDERICO HOEPFNER

IN ACADEMIA LVDOVICIANA

PROFESSORI IVRIVM PVBLICO ORDINARIO


COLLEGAE CONIVNCTISSIMO

RITE CONFERENDOS INDICAT

ET

DE DOMINIO MOENI

QVATENVS INPRIMIS SPECTAT
AD SERENISSIMOS HASSIAE LANDGRAVIOS
TAMQVAM COMITES IN CATIMELIBOCO
DICERE PERGIT.



G I S S A E,

typis IOANNIS IACOBI BRAVNII acad. typogr.



ORDINARIUS DECANUS
CHRISTIANUS JAKOBUS
SAMUEL JAKOBUS
IN
DE DOMINUS
AD SENIENSEM
JAMGVALI





§. VII.




Proximum est, ut ex iuribus nunc etiam reliquis, quae dominium fluminum publicorum indicant, supremam ab antiquo, ad medietatem usque Moeni, Serenissimorum Hassiae Principum potestatem demonstremus. Ut igitur primo *de nauigii iure* disseramus paucis, Moenum quidem aequae ac flumina publica omnia, quod ad nauigationis usum attinet, plenae libertati naturali relinquendum esse iubent Leges Imperii *a*): nec in causa hac dilucida versari amplius opus est *b*). Interim quum Mogunti- ni Archipraefules ex concessis in priuilegio Carolino *nauigandi*

A 2 in

a) I. P. O. arr. IX. §. 1. 2. Capit. Ios. II. arr. VIII. §. 6. 7.

b) Plene rem tractauit MICH. GRASS *de liberrato fluminum publicorum hodiernum relicta, in specie qua usum nauigationis, legitimis remediis contra vim publicam & priuaram asserenda, in MOSERI Synagm. Diff. iur. publ. p. 424. sqq.*



in Moeno transportandique iuribus & iurisdictionibus omnimodis, nauiculam vehendis quotidie Francofurtum reuehendisque mercibus destinata, quam supra iam memoravi, vulgo *das Marktschiff*, extra nundinarum quoque tempora habendi, conducendi in eamque ius dicendi, a Saeculo inde XV. sibi solis facultatem attribuerent, Catimeliboci Dominis penitus exclusis: grauissimis disceptationibus diu multumque res agitari coepit. Haec enim citra iniuriam territorii sui adiacentis in Moeni communi quasi flumine fieri posse, eo firmiter negabant Comites, quo insolentius praeterea exegerant Moguntini, vt semita retrahendis per aduersum anem equorum ope nauibus inferuiens, *Lein-Pfad* nominant, in littore Catimelibocensi in vsum etiam priuilegiariae, quam iactabant, nauiculae suae sarta semper tectaue haberetur. Nec prius infinitis his de conductu, cognitione in medio Moeni parteue Catimelibocensi aut semita nauali forte delinquentium, arresti imponendi ac vectigalium potestate altercationibus obicem poni coepisse inuenio, quam post delatam illam ad Landgrauios Comitatus ditionem a). In Laudo enim compro-

- a) Liti de navigatione in Moeno proximam tunc ansam dederat munitio Castris *Ruffelsbeimensis* ab Hassis facta. Quam enim iuri suo & fluminis vsui officere ratus Bertholdus, alius remedii inops propter *Aduersariorum*, vt queritur, *potentiam*, coram Notario & testibus ad d. 29. Oct. 1485. sollempniter protestatus est nouumque opus denuntiauit. Instrumentum eam in rem confectum, quod ex autographo primus in lucem protulit GVDENVS in *Cod. Diplom. T. IV. Nr. 221. p. 466.*, quum in compendio exhibeat, quid iuris sibi in Moenum arrogent Moguntinenses, lubet hic subicere schedulae requisitorialis initium: *Flumen Mayni sive Moguntani licet inter alia regalia iura ad nos ecclesiamque nostram Moguntinam pertineat tutelaque ipsius & ius salui conductus ac vectigalium &*



missorio, quod a. 1491. inter Bertholdum, Electorem Moguntinensem, & Wilhelmum, Hassiae Landgrauum, ad sapiendas per plures controuersias a Comitibus, Ludouico quidem Hemburgico & Ioanne Nassioco, latum est, praeter alia Moguntinensibus Francofurtum nauigandi libertas adserta fuit cautumque in vniuersum, *daß der Strom des Mayns nebst dem Linspad zwischen Maynz und Frankfurt, auch Leurb und Guth darauf, durch vnsern gnedigen Herrn dem Landgrafen, Sr. Gn. Erben vnd Nachkommen, oder die ihren nit sollen beschediget, aufgehaltten oder behindert werden.*


S. VIII.

At quum nimis generatim haec essent posita nec mercatoriae nauiculac iurium eius specialis facta commemoratio, lis litem genuit ac priuilegiaria eius qualitas per bina adhuc saecula fortissime negata fuit a nostris saepiusque interim suprema iurisdictio ad litus Catimelibocense in eam efficaciter exercitata. Anno denique huius saeculi decimo octauo in transactione illa primaria, ex qua hodierna patriae ratio publica ad Moguntinam sedem potissimum discenda est, cum pluribus aliis haec

A 3


quo-

*praeterea Strada suae viae publicae, quae ad utramque fluminis ripam ducit, ad nos ecclesiamque nostram spectet; & hac ratione & etiam vigore priuilegiorum ecclesiae nostrae concessorum & iuris communis auctoritate nemini liceat munitionem ad ripam suae litus fluminis, aut zelo emulatio- nis propter stradam nostram edificare, quo magis nauigatio, vsus aut passus fluminis suae viae publicae impediri aut periclitari possit &c. Hinc in sententia arbitrorum de a. 1491. muniendae arcis Rüsselsheimensis facultas quidem liberrima relinquitur Landgrauis, sed simul cauetur, *daß solcher Bau den Strom des Mayns, den Linspad vnd die Landstraße nit behindert oder besperre.**



quoque causa finem inuenit felicissimum. Datum quidem Moguntinis, quod frustra diu & inuita Themide quaesuerant; sed ita, vt simul manifestissime inde appareat Serenissimi Patriae Patris in dimidiam aduentis Moeni partem dominium. Quibuscumque enim iuribus in nauem mercatoriam hodie etiam gaudeant Archipraesules Moguntinenses, ea omnia pariter ac nauium aliarum conductus, si partem annis Catimelibocensem spectas, minime tanquam in re propria, sed per modum tantum seruitutis iuris publici exercentur. En verba ipsa, eorum, quae adfero, testem fidissimum! *Zweitens wollten Wir der Landgraf zu Hessen - Darmstadt das von Mayntz taeglich auf Franckfurt hin und her gehende Schiff samt dessen Anhaengern, in und ausser der Mess-Zeit, als ein frey privilegiertes Marckschiff, hinkünfftig ohne vweitere Contradiction erkennen, solgliche Uns so vwenig über dasselbe, dessen Geschirr und Knecht, vwan dieße auch auf dem, durch Unser des Landgrafen zu Hessen - Darmstadt Gebieth, gehenden Lein - Pfad etwas verbrechen solten, als über die darinnen befindliche Waaren, Personen und Zugehoer, einiger Cogitation auf dem Wasser, es sey auf vwelecher Seiten des Flusses es vvolle, anmassen, sondern alle dergleichen Verbrechen dem Chur - Mayntzischen foro zu Hoehst, — zur Bestrafung überlassen, vweniger nicht des Herrn Churfürstens zu Mayntz Lbd. und Dero Erzsifst das Ius conducendi auf dem Mayn, vwie Sie dasselbe in denen Marck - und andern Schiffen hergebracht, jedorb so viel die Hessische Helft des Flusses betrifft, nur per modum seruitutis, mit allen utilibus und apperinentiis eingestehen, den Lein - Pfad nach dem Herkommen nothdürfftig un-terhalten, auch nichts zum Nachtheil der Schiffarth vweeder auf gedachtem Lein - Pfad, noch mittelst Arrestirung des Marck-Schiffs oder sonstem verhaengen lassen a).*

Quod
a) Ratione iuris decernendi arrestum haec sibi met seruaui Serenissi-




Quod ad *ius conducendi* in Moeno speciatim attinet, illud quidem ad Moguntinenses plene iam vi pacti translatum esse, ex hoc loco apparet. Sed ne oneri unquam hoc cedat Serenissimi Patriae Patris subditis, nominatim prohibitum est, quo minus census aliquis conductionis, *guidagium* vocant, quippe qui vulgo ad fructus iuris conducendi referri solet *b)*, vilo ab iis tempore exigatur. Ita enim grauiter sancit Landgravius: *soll von unsern Unterthanen und Angehoerigen einig Geleith-Geld auf dem Markschiff oder sonst auf dem Mayn nimmermehr gefordert werden.*

§. IX.

Caeterum conuentione illa Serenissimos Landgrauios a iure nauigia traiectoria passim & pontones (*Neben*) habendi exclusos forsitan esse, neuiquam putes. Quum interim ob litus oppositum Moguntinensium, horum consensus iusto requiratur, hac certe in causa vsus & consuetudo vtramque constituit paginam. Sua enim, quae Castellis, Floershemii &c. habent, solum quoque priuilegiaria esse, statuere non dubitant. De Ruffelsheimensi saltem quaestionem ita decidit arbitrorum sententia de

ma Domus: im Fall sich etwa Personen oder Güter, an welche Wir einen legitimen und ad arrestum qualificirten Anspruch haben und docien koennen solten, auf dem Markschiff befinden vvir-den, sollen Uns dieselbe auf jedesmalige Requisition des Chur-Maynzischen Beamten zu Hoechst, oder etwa beym Heruntergeben und Anlandung des Markschiffs zu Maynz, der Churfürstl. Regierung allda, oder vvo sich darun anzumelden üblich, gegen gewoehnlichen Revers ohnrveigerlich ausfolget --- werden.

b) vid. ORTHIVS de regali conducendi iure c. VI.



de a. 1491.: auch moegen vnser gnediger Herr von Hessen vnd Seiner Gnaden Erben zu Rüsselsheim ein Neben halten zu Ihrer Gnaden notturft vnd Gebrauch, doch daß dieselbe nit ferner werde gebraucht, vnd sonderlich soll keine vware zuverkaufen oder kaufmannschaz. übergeföhret vwerden, vnd wann bisher auch ein Moehenschiff, darzu ein Schiff, holz vnd kohlen darinnen gen Maynze zuföhren, daselbst sind gewesen, die moegen dermaßen jezt vnd hinförther mit sambr der Neben da gehalten vnd gebraucht vwerden, wie oben gemeldt. Sed nec omitti fas est ex aduerfa parte, quum Reuerendissimus Cathedralis Eccl. Moguntinae Praepositus, Celsissimus Imp. Comes HVGÖ ab ELZ, Musarum amor & deliciae, Etershemii nauiculam traiectoriam habere cuperet, concessisse illi hanc gratiam ad dies vitae atque in vsus priuatos Serenissimum nostrum, qui nunc inter coelites degit, LVDOVICVM VIII.

Sed in plura iam excurrere & temporis vetat & scripturae ratio.

Ad augenda enim eruditionis insignis atque virtutis eximia proemia, quibus a Serenissimis Hassiae Landgrauis ex merito adhuc ornatus fuit, Doctorales etiam Iuris Vtriusque honores ab Ordine nostro decenter nuper petit Fautor & Collega aestumatissimus

VIR

EXCELLENTISSIMVS ATQVE CONSVLTISSIMVS
LVDOVICVS IVLIVS FRIDERICVS
HOEPFNER

IVRIVM APVD NOS PROFESSOR PVBL. ORDINARIVS

& vt omnibus ac singulis, quae ex more antiquo a dignitatum



tum academicarum Candidatis solent exigi, ex asse satisfaciatur, sequentes laudatissimae vitae suae rationes, eius enim ipsius, ne Viri, quem amo, modestiam laesisse videar, quam meis verbis uti malo, nobiscum communicavit:

Non libenter de me ipso verba facio; sed moribus maiorum poscentibus, pro re pauca loquar. Si vitae cursum signandi meum fuisset arbitrium, hoc erat in votis

-- secretum iter & fallentis semita vitae.

Verum aliter placuit, quod fata nostra moderatur, mimum, quo volente hoc viuendi curriculum peragraui.

Patvia Giffa est, in qua die III. Nouembr. anni MDCCXLIII. primam lucis usuram hausi. IO. ERNESTUM HOEPFNERVM, iuris professorem pluriumque statuum imperii consiliarium aulicum, & MARIAM HELENAM MAGDALENAM, IO. FRIEDERICI WAHLII, antecessoris Goettingensis & Potentissimo Britanniae Regi a consiliis aulae, filiam habui parentes, optimos & salutis meae studiosissimos, ut

----- si natura iuberet,

A certis annis aeuum remeare peractum,

Atque alios sumere ad fastum quoscumque parentes,

ego meis contentus neque nobilissimos neque ditissimos mihi sumerem. Rara felicitas mea erat, ut mater ipsa sancta religionis praecepta & linguae romanae elementa paruulo

B


mibi



mibi instillaret. Pater autem, quantum negotiorum suorum ratio concedebat, caeteras scientias, quibus iuuenilis aetas imbui solet, mibi tradebat. Ita instructus, anno aetatis undecimo paedagogium nostrum publicum ingrediens disciplina praeceptorum fidei & doctrinae laude peraeque florentium, in primis Viri summe venerandi BENNERI fruebar. Post aliquot annos inter ciues academiae nostrae dabam nomen, & scholas B. KORTHOLDI, BECHTOLDI, KOCHII, MOGENII, B. ALEFELDI, THOMII & BOEHMII frequentabam, Virorum, in quorum laudes excurrere & verecundia, & partim eiusdem collegii nexus, qui vel meritissimi praeconii fidei derogaret, prohibet. Et ipsi forsan Alexandri exemplo, qui non nisi ab Apelle pingi & a Lysippo fingi volebat, meam indiserti praedicationem aegre ferrent. Ab ipso quoque amantissimo patre prima iurisprudentiae principia tradita acceperam. Cum triste & praematurum fatum mibi eripuerat parentes, KORTHOLDVS ò *παράσιτος* & THOMIVS, collega nunc aestu-
matissimus coniunctissimusque, consiliis & beneficiis mibi alii parentes fiebant, & ad gratias maiores, quam unquam reddere possum, me sibi obstrinxerunt. Absolutis academicis studiis, scholas, quas repetitorias vocant, adperiebam, quae, nescio quo fato, adolescentibus quam plurimis discendi cupidis placebant; usque dum ad instruendum iuuenem indole & ingenio excimium, filium Vri
per-



perillustris de CANNGIESSER Consiliarii Hasso-Cassellani
intimi Cassellos migrabam. Huius indulgentissimi mei Pa-
troni exemplo & praeceptis ad fori cognitionem forma-
bar, quod absque dubio erat in causis, cur pater patriae
optimus, qui nunc coelesti diademate fulget, LVDOVICVS
VIII. Landgravius, a magistro ad discipulum argumentum,
aliquando fallax, capiens, ad qualemcunque meam in liti-
bus serenissimae domus operam habendam, cum Consiliarii
titulo me Darmstadtium euocaret. Sed virium mearum
tenuium & grauitatis negotiorum conscius hanc spartam
declinabam, & officium Professoris, in collegio illustri,
quod Cassellis floret, a Serenissimo Hassiae Cassellanae Land-
grauio, Principe omnibus belli & pacis artibus decoro, ob-
latum accipiebam. Hoc munere per quatuor annos functus
iurium professor in hac Ludouiciana a Celsissimo & Sere-
nissimo Principe nostro clementissime designabam. Insigne
quidem stipendii augmentum mihi offerebat Principis & Do-
mini tunc mei gratia, & inter membra societatis literariae,
quam, eo tempore condere meditabatur, nomen meum refe-
rebat. Sed vincebat amor patriae. Gissam igitur reuer-
sus, anni huius mense Martio prouinciam mihi clementissi-
me demandatam ingrediebar, quam non omnino sine studio-
sae iuuentutis fructu ad hunc diem administrauisse spero &
vt in posterum sic administrarem, nullis curis, nullis labori-
bus, nullisque vigilis parcam.



Eo maiori voluptate precibus nos dedimus Collegae aestumatissimi, quo studiosius primo in Assessore Collegii iuridici, ad facultatem de iure respondendi debite magis sollemniterque exercendam, Statuta nostra dignitatem illam requirunt, & quo luculentius deinde cognitam nobis probatamque reddidit solidam, qua pollet, iurium imprimis scientiam. Ornabitur igitur a me decretis honoribus, quos ambit, habita antea Lectione cursoria de *Origine titulorum Academicorum* & defensa deinde publice Prid. Calend. Octobr. Dissertatione inaugurali de *Effectu Restitutionis in integrum quoad fideiussores*. Cui certamini literario vt **MAGNIFICVS ACADEMIAE RECTOR, PROFESSORES AC PROCERES REI PVBLICAE TVM LITTERARIAE TVM CIVILIS OMNIVM ORDINVM CELEBERRIMI, HOSPITES imprimis atque CIVES ACADEMIAE NOSTRAE GENEROSISSIMI AC PRAENOBILISSIMI** praesentia sua honorifica benigne adesse velint, obseruanter atque enixe rogo exoptoque. P. P. IN ACADEMIA LYDOVICIANA ad d. XXVIII. Septbr. CIO IOCC LXXI.



VD 18

ULB Halle 3
004 087 81X



TA → α





1771, 26 3

ORDINIS IVRIDICI DECANVS
CHRISTIANVS HARTMANNVS
SAMVEL GATZERT D.

HONORES DOCTORALES

VIRO


EXCELLENTISSIMO ET CONSULTISSIMO
LVDOVICO IVLIO FRIEDERICO HOEPFNER
IN ACADEMIA LVDOVICIANA

PROFESSORI IVRIVM PVBLICO ORDINARIO
COLLEGAE CONIVNCTISSIMO

RITE CONFERENDOS INDICAT

ET

DE DOMINIO MOENI
QVATENVS INPRIMIS SPECTAT
AD SERENISSIMOS HASSIAE LANDGRAVIOS
TAMQVAM COMITES IN CATIMELIBOCO
DICERE PERGIT.



G I S S A E,

typis IOANNIS IACOBI BRAVNII acad. typogr.

